

inizi del Quattrocento, non solo ci scopre come queste regioni siano state la culla della moderna epigrafia, ma ci fa rivivere uno degli infiniti momenti in cui affetti, vita e storia delle genti adriatiche dell'una e dell'altra riva si fondono e confondono sì da formare una unità sola.

ANCONITANA ILLIRICAQUE
LAUS
ET
ANCONITANORUM RAGUSEORUMQUE
FOEDUS

EX
KVRIACO PICENICOLLEO ANCONITANO

Marino de Restis Raguseo viro clarissimo

Kyriacus Picenicolleus Anconitanus

Salutem.

Venisti tandem, optime praestantissimeque Marine, nostram hanc Anchonitanam patriam civitatem, ex amplissimo vestrae nobilissimae civitatis ordine legatus et orator egregius, ad renovandum, quin immo potius dicam melius emendandum reformandumque foedus, iam diu intermissum, nos inter Anchonitanos et vestros, tam diu longeve nobis amicissimos Raguseos, civitatum scilicet utrarumque cives inter hinc inde incolas, socios et colonos; opus quidem honestum imprimis et exoptabile, pium, utile, dignum, humanum, egregium, honorabile, opportunum et quodammodo hinc inde civitatibus gentibusque invicem necessarium, excitasti.

Sed quo sis, optime Marine, alacrior avidiorque ad haec ipsa honestissima foedera ineunda formandaque, haud dubie habeto, quod foederate duae hae antiquae nobiles atque uberrimae civitates maritimae, invicem amicissimae, Ancon et Epidaura Ragusion, adamantinis benvolentiae vinculis iunctae, duae veluti stabilissimae Illyrici Adriaticive sinus ad utrumque latus et ineluctabiles arces extiterint: haec enim ad Italicum, illa quidem ad Dalmaticum suaequae litora mariaque tutantes.

Quarum quidem nobilium civitatum situs, regiones et egregias qualitates, hisce benvolentiae tuae duxi, quam paucis adnotandum.

Est enim civitas Ancon nobilis et praeclara, egregiumque Piceni provinciae caput, quo etiam nomen dare pro excellentia meruit ut Anconitana Marchia nuncuparetur.

Ast enim vero, altius ut ea de praeclarissima civitate antiqua ab origine repetam, qui earn homines a principio condiderunt, quave ex parte venerint, non satis certum inter auctores Graecos Latinosve compertum habeo, nec mirum tam longo aevo cornmentariis non intercedentibus.

Fuere qui ex Delo sacra Aegeo atque nobilis Cycladum insula commorarunt, sacerdotes quosdam viros, ex Dorica regione Graecos, ea forte tempestate praedonibus agitatos, altum per Iconium, Illyricum Adriaticumve transfretantes, nostrum tandem ad promunturium cymba devectos, aedem divae Veneri, quae sibi dea caelo benigna fuerat, postquam dicaverunt, principium civitati dedisse, eique nomen, situs opportunitate, ad recurvi cubiti figuram, graeco vocabulo, Anconem merito imposuisse. Quos deinde sequuti, ex Lydia, Iconia, Karia atque Cilicia, iuvenes quamplures nobiles nostra ad haec litora navibus applicantes, locum postquam illis habilem situmque incomparabilem cognoverant, ibi postquam desilientes concenderant, incrementum eximium coeptae civitati, omnifariam modisque omnibus contulisse.

Nec equidem alii defuere qui dicerent Siculos quosdam antiquissimos populos, tyrranicam fugientes edacitatem, sinistrum Italiae litus per Adriacum navibus perlegentes, ad nostrum ipsum Apennini montis promunturium, Ancona liberam sibi coloniam delegisse in loco fertili, aere sub aequo, claris in collibus Oenotriis et sub pede eiusdem acrotirii montis praecelsi, ubi, Liburnorum in conspectu, ad portum aquae conspectabatur, a quo Illyriam, Graeciam, Asiam, Aegyptum reliquasque gentium necessarias regiones saluber ac facilis navigantibus ab Italia pateret accessus, hoc enim sanctissimo pacto, ne unquam ibi deesset honestae et pulcherrimae libertatis specimen, decus, nomen et ornamentum quam expotabile.

At enim vero (inter) notos in aetate nostra Graecos auctores, comprehendimus, mathematicum ilium Claudium Ptolemaeum Alexandrinum (de) hac nobilissima civitate trifariam et egregiam mentionem habere. Posuerat enim in suo de geographia libro in Europae corographia, Italas inter maritimas partes, Marcinos inter et Semnonas Cesalpinos Gallos, Anconam, Picenorū provinciae insignem primariamque civitatem, in sinu Illyrico ad sinistrum Italiae litus et egregium in Adriaco Apennini montis

promunturii caput, habentem ab occidente per longitudinem gradus XXXVI atque binas quartas, latitudinis vero ab aequinoctiali in arctum gradus septem de quinquagies et dimidium cumque sexto.

Qua vero in parte montes descripserat, primum ad Anconis promunturium in Adria- cum mare vergentes posuerat. Ubi tandem in fine de dierum altitudine nobilium in Italia civitatum mentionem habet, Anconem X inter insignes totius Italiae urbes descriptsit habentem maximam anni diem horarum XV atque tertiam horae partem, distantem ab Alexandria per occiduum hora una atque binis quartis.

Aliam vero unam eiusdem nominis urbem eo ab auctore, toto terrarum orbe descriptam comperimus. Nam in Cappadociae nobilissimo regno, maritimas ad oras Leucosyron, posita est Ancon. Sed, quod ad nostrae cumulum claritatis accedit, hoc praecipue dignum commemorare et peregregium nobis visum est: quod harum X nobilium et antiquarum Italiae urbum una haec civitas Ancon, unica sub alma Dei vicarii potestate, ad nostrum hucusque tempus unica et alma civium democratica libertate floret.

Reliquae vero omnes - Romam semper excipio - aut deletae penitus, aut tyrannica ditione subactae, serviendo maestam et lugubrem vitam agunt. Clitomachus vero Graecus, et ipse auctor haud ignobilis, multum ante suis in commentariis, haec de Ancone scripta relinquit, ut et latine habetur ex Lino:

“Anconis lapidem caemento pressit, divis manibus suis, in loco Paracautino, ad levam pacati litoris, semestribus X et 5ota, sole septimo ante Pergamorurn flamas”.

Domesticos vero auctores qui celeberrimum huius almae civitatis nomen commemorant (te dudum et pluries lectitasse non dubito), namque Tibullum, poetam haud ignobilem, de Ancone haec talia scripsisse luculentissime didicisti:

*Fides fixa tuo sancto de nomine di...
Quae tumidos Ylliris fluctus repelleret Ancon.*

Lucanum vero Cordubensem, dum in causa belli civilis insignem ad utrumque Italiae litus describerét urbes, novisti dixisse:

*Hinc Tyrrena vado frangentis aequora Pisae,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.*

Iovenalem quidem satyrum cecinisse haud ignoras:

Ante domum Veneris quam Dorica sustinet Ancon.

Quid memorem deinde Curtium, latinum historicum quidem nobilis, quem de Ancone haec in Traianum principem scripsisse percepimus:

“Traianus igitur imperator, per aequoris vada venit in civitatem fidelis in ripam cephalinam Thetidis curvae, ubi de se memoriam fecit, spectaculum grande. Postea vero per colliseptam Picenum et alpibus Umbriam clausam, in Urbem profectus est”.

Huiusce quidem rei nobile testimonium in hodiernum extat, insignem apud ipsum eiusdem civitatis portum, marmoreus et mirabilis arcus, quem desuper inclitus olim ille S. P. Q. R. huic gloriosissimo principi, Divo Traiano Caesari, eiusdem saluberrimi portus providentissimo conditori, auream equestrem statuam, conspicuas inter divae Marcianae sororis, Plotinaeque iocundissimae coniugis imagines, ut triumphale specimen, decus et ornamentum, mira quidem architectorum ope dicarat, hoc nobili suo testante aureis litteris hypogrammate:

IMP • CAESARI DIVI • NERVE • F • NERVE
 TRAIANO • OPTIMO • AVG . GERMANIC DACICO • PONT • MAX •
 TR . POT . XVIII • IMP • IXI •
 COS . VI • P • P • PROVIDENTISSIMO • PRINCIPI -
 SENATVS • P • Q • R QVOD • ACCESS VM • ITALIE
 HOC ETIAM • ADDITO • EX . PECVNIA • SVA
 PORTV • TVTIOREM • NAVIGANTIBVS • REDDIDERIT •

Ipse deinde optimus imperator auream eiusdem statuae atque praeclaram imaginem huic tam egregiae, maritimas inter ad Adriacum civitati civibusque omne per aevum honorabile signum gestare, regia libertate donavit.

Cuiusce vero splendentem iconis effigiem per publica et egregia nostra civitatis loca, purpureaque praetoriana vexilla, undique per Latium et Ausonias urbes enitescere conspectamus.

Vidisti praeterea nostrae huiusce praecclare civitatis ornamenta alia quam plura, sed inter potiora antiqua atque nobilia undique ex cocto latere moenia, maritimum fronte litus, tresque ripales et aereas arces;

portas deinde regias, turres innumeris et praecelsas, nec non sacra superis speciosa ornatissimaque delubra; alta quoque magistratum praetoria, ci-viumque palatia et conspicuas aedes; marmoreos itaque arcus et gestarum rerum trophea; scaenas, columnas, statuarumque fragmenta; bases et epigrammata; quin et harenarum ingentia vetustissimaque numidiae architecturae loca pereminentia urbis amphiteatra, magnum inditium splendoris primaevae tam praeclarae civitatis familiae et verendissimae antiquitatis.

Ast enim, ut finem amodo faciam, ne quidem hoc loco praeteream disiectas olim tridente a civibus, alma pro libertate, Cataldiana altissimae arcis moles et machinarum vi avulsa ripis per urbem et ariete crebro muralive concita tormento, ingentia atque immania saxa.

Quae omnia aliaque quam plura egregia civitatis ornamenta quandoque per otium conspectare bellissimum nobilissimum est.

Videres namque deinde exoptabilius, clarissime Marine, immo potius dicam vidistin politicam illam civium modestiam et honestatem, quietem, pacem, unionem, concordiam, securitatem, religionem, almamque democraticam libertatem, quam et nobilissimae utique vestrae, quamvis aristocraticae, nullam existimares morum deformitatem habere.

Quae igitur omnia ad haec ipsa ineunda tam idonea, foelicia et honestissima foedera tuam denique benivolentiam et affectionem plurimum debent incendere, tuamque non parum virtutis magnitudinem excitare.

Antigua etenim alia apud Anconem, et quae ad nostrum usque diem diversis in lapidibus extant, nobilia latinis atque graecis litteris epigramma-ta, hac utique in parte duxi inferius adnotanda.

Ad marmoream basim, ante domum secus primariam Beatae Virginis aedem, in Petroniam Sahinam epigramma:

PETRONIAE SABINAE
FILIE L • PETRONI • SABINI • P • BIS
PROCVRATOR • AVGG • STATIONIS HEREDITAN
TIVM • ITEM PROVINCIE NARBONENSIS
PATRONI COLONIAE •
DECVRIONES •

Itemque ad Cathedralem beati Kyriaci pontificis aedem, doricum ad equestrem marmoreamque statuam epigramma: